


Joachimus Abbas Monasterij Sancti  
Galli, prudenti ac perdocto viro  
Josueo Kesslero S. D.

Digesimo die Februarij tuas mihi dedit literas  
Detanus meus, quibus citius profecto respondissem,  
nisi me varia et multa tum domestica tum civilia  
negotia impediuisent, Quare tua erit prudentia  
id ipsum mora' causam fuisse existimare.  
Consilium et mens tua de excudenda ore qua' D.  
Gallus olim habuit Constantia mihi non displicet;  
Placeret autem uehementer si prius exemplaris  
mihi copia fieret. Nam licet ante octo annos dictam  
orationem habuerim Parisijs, nunquam tamen totum  
illam legendi mihi facultas fuit, quam deinde cuida  
doctissimo viro ex Societate nominis Jesu exhibitam,  
repetere neglexi. Missa autem ad me fuit, per fratrem  
Mauritium Enck Conuentualem Coenobij S. Galli, qui  
eam descripserat ex antiquo quod penes te est exemplari  
parente tuo bonae memoriae id praestante. Quod si praedictam  
orationem perlegero, tum animum meum  
quisquis erit, declarabo. Sum enim paratus tuis com-  
modis et bona uoluntari officij mei et operae nil  
denegare. Vale. 24 Febr. 80.

Prout ut Joachimi eximii a Felice  
Viro, D. Johanni Kesslero vobis  
Sancti Gallensis abbas, etc. etc. etc.  
ac compati meo in primis  
obseruando.

Sancti Gallensis in San-  
cti Gallensis Pleps.



Joachimus Abbas Monasterij  
S. Galli. Josueo Kesslero p. S. D.

Legi quod ad me misisti exemplar orationis Constantiae à S. Gallo habitae: Mibi certe placet cum quod nil habeat contrarium fidei rectae, et quae tum temporis ubiq; terrarum una erat, nullis ut hac nostra aetate opinionibus et varijs commentis obfuscata, tum quod profecta sit a viro Sanctitate doctrina et omni uirtutum genere ornatissimo, qui ut huic meo Monasterio Originem dedit, Ita merito à me est sempiterna memoria celebrandus. Verum si mihi esset sincere iudicandum, numne excudenda sit, nec ne. Existimo opus non esse. Pace enim S. mi viri D. Galli sententiam dixerim sicut ante ea quibus uixit tempora, Et post, tot orationes editae, tam doctè conscriptae, ut opus esse non putem hanc tandem imprimendam. Esto enim utilis sive, docta sit *καὶ τὸν κατὰ τὸν ἄριστον* aptissima. alias utiliores conscriptas esse, et rudibus in fide christiana aptiores puto. Non ergo quod in me est abnuo quin imprimi possit, sed tamen nollem scribi uel meo iussu aut consensu, uel sub tutela mei nominis impressam esse. Ad causam enim praedictam accedit quod exemplar mihi a te oblatum non admodum